

# CLASSICS PART IA, LATIN LANGUAGE

## LENT TERM, WEEK 1

### 1. Translate:

*In the Second Punic war (Rome vs. Carthage), Carthage has split into two factions: those supporting Rome (the Numidians) and those resisting Rome. Towards the end of the war, Massinissa (a Numidian leader allied to the Romans) successfully subdues Syphax (a 'pro-Carthaginian' leader), thereby becoming king. He tries to enslave Sophonisba, wife of Syphax, but is instead seduced into marrying her.*

intranti uestibulum in ipso limine Sophoniba, uxor Syphacis, filia Hasdrubalis Poeni, occurrit; et cum in medio agmine armatorum Masinissam insignem cum armis tum cetero habitu conspexisset, regem esse, id quod erat, rata genibus aduoluta eius 'omnia quidem ut possis' inquit 'in nobis di dederunt uirtusque et felicitas tua; sed si captiuae apud dominum uitae necisque suae uocem supplicem mittere licet, si genua, si uictricem attingere dextram, precor quaesoque per maiestatem regiam, in qua paulo ante nos quoque fuimus, per gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per huiusce regiae deos, qui te melioribus ominibus accipiant quam Syphacem hinc miserunt, hanc ueniam supplicides ut ipse quodcumque fert animus de captiua tua statuas neque me in cuiusquam Romani superbum et crudele arbitrium uenire sinas. si nihil aliud quam Syphacis uxor fuissem, tamen Numidae atque in eadem mecum Africa geniti quam alienigenae et externi fidem experiri malletm: quid Carthaginensi ab Romano, quid filiae Hasdrubalis timendum sit uides. si nulla re alia potes, morte me ut uindices ab Romanorum arbitrio oro obtestorque.' forma erat insignis et florentissima aetas. itaque cum modo genua modo dextram amplectens in id ne cui Romano traderetur fidem exposceret propiusque blanditias iam oratio esset quam preces, non in misericordiam modo prolapsus est animus uictoris, sed, ut est genus Numidarum in uenerem praeceps, amore captiuae uictor captus.

(Livy)

## 2. Prepare:

*Winter bids us make merry.*

vides ut alta stet niue candidum  
Soracte nec iam sustineant onus  
siluae laborantes geluque  
flumina constiterint acuto?

dissolue frigus ligna super foco  
large reponens atque benignius  
deprome quadrimum Sabina,  
o Thaliarche, merum diota.

permitte diuis cetera, qui simul  
strauere uentos aequore feruido  
deproeliantis, nec cupressi  
nec ueteres agitantur orni.

quid sit futurum cras, fuge quaerere, et  
quem fors dierum cumque dabit, lucro  
adpone nec dulcis amores  
sperne, puer, neque tu choreas,

donec uirenti canities abest  
morosa. nunc et Campus et areae  
lenesque sub noctem susurri  
composita repetantur hora,

nunc et latentis proditor intumo  
gratus puellae risus ab angulo  
pignusque dereptum lacertis  
aut digito male pertinaci.

**(Horace)**